

PARS II.

De virtutibus moralibus.

PRAEAMBULUM.

De virtutibus cardinalibus generatim sumptis et speciatim de prudentia, fortitudine et temperantia.

§ I.

De virtutibus cardinalibus in genere.

I. Virtutes theologicae illae sunt quae Deum vel aliquam perfectionem divinam tamquam objectum formale respiciunt (1), morales vero, ait Lessius (2), quae in caeteris rebus mores hominum secundum praescriptum rectae rationis componunt. Inter has quatuor sunt quae dicuntur cardinales, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, quibus caeterae omnes sunt annexae.

Vocantur cardinales et principales non solum a DD. scholasticis, sed etiam a Patribus. S. Ambrosius (3) in illud: *Beati pauperes*, etc. dicit B. Lucam in quatuor beatitudinibus amplexum esse «quatuor virtutes veluti cardinales.» Et infra: «Scimus» virtutes esse quatuor cardinales, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem.» Alibi vocat eas «principales» (4). Commendantur hae virtutes Sapientiae (5): *Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ubi nomine *sobrietatis* intelligitur temperantia: *virtutis* fortitudo ut docet Augustinus (6) et patet clare ex textu graeco, ubi ponuntur nomina harum virtutum philosophis usitata; *σωφροσύνην γὰρ καὶ φρόνησιν ἐκδιδασκει, δικαιοσύνην, καὶ ἀνδρίαν.*

2. Pro ratione hujus appellationis, notandum est nomine pru-

(1) Quaest. praev. Dico I.—(2) Prooem. De just. et jur.—(3) In Luc. c. VI.—(4) L. 1, *Offic.* c. 14. Eodem nomine vocat eas Prosper L. 3, de *vit. contempl.* c. 18; Gregorius L. 2. *Mor.* c. 36, (al. c. 49, n. 77) et alii passim.—(5) VIII, 7.—(6) L. 1, *Retract.* c. 7.

dentiae, justitiae, fortitudinis et temperantiae interdum intelligi generales quasdam rectitudines, quae in omni virtute reperiri debent. Omnis enim virtus debet esse prudens in operando, ne erret per inconsiderationem, vel negligentiam: justa ut praestet quod debet Deo, proximo et sibi ipsi, et ut neminem laedat: fortis, ut fortiter in bono persistat, non sinendo se ob ulla difficultates a recto dimoveri: temperans, ut modum a ratione praescriptum non excedat. Hoc modo recte dicuntur virtutes cardinales; quia sunt generales, et principales quaedam rectitudines, quibus tota vita nostra dirigi, et in quibus veluti quibusdam cardinibus formari et verti debet. Secundo significantur illis nominibus speciales quaedam virtutes, quae etiam recte dicuntur cardinales. Prudentia quidem, quia est caeterarum virtutum fundamentum, et veluti cardo. Justitia particularis, non quod excellentior sit caeteris, quae alteri debitum reddunt; (sic enim potius Religio esset dicenda virtus cardinalis), sed quia perfectissime ea, quae justitiae sunt propria, (nempe respicere alterum et reddere debitum ad aequalitatem) in justitia particulari, quae est hominum inter se, reperiantur. Fortitudo, quia versatur in maximis et difficillimis vel superandis, vel tolerandis. Temperantia, quia versatur in maximis voluptatibus moderandis. Itaque hae tres sunt principales, tum quia singulae sibi vindicant aliquam principalem conditionem et rectitudinem ex praedictis, quae peculiariter in ipsis resplendeat; tum quia versantur in materia principali, quae potissimum illam rectitudinem postulat (1).

3. **Dico:** Virtutes cardinales sunt quatuor: prudentia, justitia, temperantia et fortitudo.

Prob. cum Angelico (2): 1.º Auctoritate S. Gregorii (3), qui dicit: «in quatuor virtutibus tota boni operis structura con-surgit.»

2.º «Numerus aliquorum accipi potest aut secundum principia» formalia, aut secundum subjecta; et utroque modo inveniuntur «quatuor cardinales virtutes. Principium enim formale virtutis, de» qua nunc loquimur, est rationis bonum. Quod quidem dupliciter «potest considerari: uno modo secundum quod in ipsa considera-tione rationis consistit; et sic erit una virtus principalis pru-dentia. Alio modo secundum quod circa aliquid ponitur ra-tionis ordo; et hoc vel circa operationes, et sic est justitia; vel» circa passiones, et sic necesse est esse duas virtutes. Ordinem «enim rationis necesse est ponere circa passiones, considerata re-pugnancia ipsarum ad rationem. Quae quidem potest esse dupli-

(1) V. D. Thomam. 1, 2, Q. 61, a. 3.—(2) Ibid. a. 2.—(3) 2, *Moral.* c. 49.

»citer: uno modo secundum quod passio impellit ad aliquid con-
 »trarium rationi; et sic necesse est quod passio reprimatur, et ab
 »hoc denominatur temperantia; alio modo secundum quod
 »passio retrahit ab eo, quod ratio dictat, sicut timor periculorum
 »vel laborum; et sic necesse est quod homo firmetur in eo, quod
 »est rationis, nec recedat, et ab hoc denominatur fortitudo.

»Et similiter secundum subjecta idem numerus invenitur. Qua-
 »druplex enim invenitur subjectum hujus virtutis, de qua nunc
 »loquimur; scilicet *rationale per essentiam*, quod prudentia perficit;
 »et *rationale per participationem*, quod dividitur in tria, id est, in
 »*voluntatem*, quae est subjectum justitiae, et in *concupiscibilem*,
 »quae est subjectum temperantiae, et in *irascibilem*, quae est sub-
 »jectum fortitudinis.»

§ II.

De prudentia.

4. Prudentia a porro videndo dicta, ut fert S. Isido-
 rus (1): «Prudens dicitur quasi porro videns. Perspicax enim est,
 »et incertorum videt casus;» definitur a S. Augustino (2),
 »rerum appetendarum et fugiendarum» scientia, a Philoso-
 pho (3) «recta ratio agibilium,» clarius a Lessio (4): «virtus
 »intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid ho-
 »nestum sit, quid turpe.» *Virtus intellectus* ut indicat ipsa nominis
 etymologia, et functiones, quae ipsi tribuuntur, ut consultare,
 judicare et imperare, cum sint rationis, idem manifestent. *Qua no-
 vimus in quovis negotio occurrente*; quia prudentia versatur circa
 actiones singulas; si enim aliquis, de quibusdam individuis actio-
 nibus nesciret determinare an deceant vel non, non esset absolute
 prudens, sed solum in certa materia et secundum quid. Itaque pru-
 dentia in iis, qui perfectum rationis usum habent, extendit se ad
 omnes actiones liberas totius vitae, eas considerans et dirigens.
Quid honestum sit, i. e. quid deceat agere. Hic explicatur objectum,
 et effectus, et finis prudentiae. Agere enim honeste est objectum
 prudentiae, sicut aedificare domum est objectum artis, quod obje-
 ctum prius naturam quam existat consideratur a prudentia per mo-
 dum objecti. Est etiam opus, seu effectus prudentiae, sicut aedifi-
 care est effectus artis, quatenus prudentia dirigit voluntatem in
 eligendo, et potentias exequutrices in exequendo. Denique est etiam
 finis prudentiae, quia prudentia non est ob cognitionem honesti.

(1) *Etymolog.* L. 10, c. 15. — (2) *De lib. arb.* c. 13, L. 1. — (3) 6, *Etic.* c. 5. —
 (4) *De justitia et jure.* L. 1, dubit. 1.

sed ob actionem. *Et quid turpe*; sicut enim virtutis est facere bonum, et vitare malum; ita prudentiae est nosse bonum ut agatur, et malum ut vitetur. Ratio est quia contrariorum eadem est scientia: nemo enim perfecte potest scire quomodo recte vivere debeat, nisi sciat quidnam in moribus sit vitandum.

5. **Dico I.** Prudentia in proprio suo judicio falli non potest.

Ratio est, quia iudicium prudentiae supponit diligentem, et juxta capacitatem humanam sufficientem rei considerationem; qua posita, etiamsi opus fortasse in se non sit absolute honestum, tamen respectu hujus hominis sic affecti est honestum, et ita iudicatur cum his circumstantiis prudenter et absque errore esse honestum. Sicut enim potest aliquid esse jucundum alicui in certa dispositione et affectione, ut potus aquae sitiendi, quod extra talem dispositionem esset molestum: ita etiam potest aliquid cuiquam in certa dispositione esse honestum, quod extra eam non esset. Sic ergo Jacob, (Gen. XXIX, 23, 24) cum Liam ut uxorem habuit, per prudentiam non iudicabat hanc esse suam uxorem; vel accedere ad hanc esse absolute honestum; (haec enim iudicia non erant iudicia prudentiae, neque imprudentiae, sed inculpati erroris in homine prudente) sed iudicabat hoc esse sibi honestum, spectatis circumstantiis, quae tunc se offerebant. Hoc enim iudicium immediate erat directivum operationis. Erat etiam hoc iudicium verum; quia spectato illo errore inculcato, et caeteris circumstantiis erat illi vere honestum ad hanc accedere.

Quomodo sit certo prudens usus opinionis probabilis etiam contra legem vid. ubi de Probabilismo. Disq. III.

6. **Dico II.** Prudentia est virtus specialis.

Prob. ex D. Thoma (1). Est *virtus*: «virtus est quae bonum
 »facit habentem, et opus ejus bonum reddit... Plus autem habent
 »de ratione virtutis habitus illi, qui respiciunt rectitudinem appe-
 »titus, quia respiciunt bonum non solum materialiter; sed etiam
 »formaliter, i. e. id quod est bonum sub ratione boni (moralis). Ad
 »prudentiam autem pertinet (nn. 2, 3) applicatio rectae rationis ad
 »opus quod non fit sine appetitu recto. Et ideo prudentia non solum
 »habet rationem virtutis, quam habent aliae virtutes intellectuales,
 »sed habet etiam rationem virtutis, quam habent aliae virtutes
 »morales, quibus etiam connumeratur.»

Est virtus *specialis*: a) quia «condividitur et connumeratur aliis
 »virtutibus;» dicitur enim Sapientiae (2): *Sobrietatem et pru-
 dentiam docet, justitiam et virtutem.* b) «Habitus cui respondet

(1) 2, 2, Q. 47, aa. 4, 5. — (2) VIII, 7.

»speciale objectum ab aliis distinctum... si est bonus est specialis
»virtus.» Sed ita evenit in prudentia. Ergo... *Min.* prob. Nam,
«cum prudentia sit in ratione diversificatur quidem ab aliis virtu-
»tibus intellectualibus secundum materialem diversitatem obje-
»ctorum; nam sapientia, scientia et intellectus sunt circa neces-
»saria; ars autem et prudentia circa contingentia; sed ars circa
»factibilia, quae scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut
»domus, cultellus et hujusmodi; prudentia autem est circa agi-
»bilia, quae scilicet in ipso operante consistunt. Sed a virtutibus
»moralibus distinguitur prudentia secundum formalem rationem
»potentiarum distinctivam, scilicet intellectivi in quo est pruden-
»tia, et appetitivi, in quo est virtus moralis. Unde manifestum est
»prudentiam esse specialem virtutem ab omnibus aliis virtutibus
»distinctam.»

7. **Dico III.** Functiones prudentiae generatim nu-
merantur tres: bene consultare, bene judicare et
praecipere executionem cum sollicitudine et
diligentia.

Additur cum sollicitudine et diligentia, quia prudentiae est
omnes circumstantias considerare, et omnia necessaria ad finem
intentum (quantum fert conditio personae) convenienti modo, loco,
tempore, etc., adhibere: quod sine magna diligentia fieri nequit.
Dicitur «quantum fert conditio personae;» quia si quis adhibuit
quod potuit, ut recte judicaret, iudicium erit prudens, etiamsi spe-
culative erret (n. 5).

Bene consultare, inquirendo quae media, et quae circum-
stantiae necessariae sint ut opus fiat honeste, et secundum virtu-
tem. Operari enim secundum virtutem est finis prudentiae.

Recte judicare post consultationem, quod fit quando post
diligentem inquisitionem et considerationem rei concluditur quid,
quove modo, loco, tempore, quibusque aliis circumstantiis sit
agendum, ut opus secundum virtutem fiat. Ad hoc iudicium ma-
xime expedit in promptu habere sententias Sapientum, et in pri-
mis, quae in Proverbiis Salomonis et Ecclesiastico;
hae enim ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant.
Per hosce duos actus prudentia dicitur invenire, et praescribere
medium virtutibus moralibus, i. e. quidnam in singulis functio-
nibus mensurae rationis sit commensum, non exorbitans per ex-
cessum aut defectum. Praescribit autem medium, iudicando id
esse medium, seu honestum, et per hoc iudicium ostendendo, seu
objiciendo illud voluntati, ut per virtutem moralem amplectatur.

Recte imperare non per imperium proprie dictum, (nisi
agatur de prudentia oeconomica vel politica, quae respicit inferio-
rem) nemo enim sibi ipsi proprie imperat, dum aliquid facit: sed

dicitur imperare; quia prudentiae est praescribere quid et quomodo
agendum, et movere voluntatem ad consensum et ad opus. Quod
quam recte dicatur patet: tum quia praescribere quid agendum et
ita movere, est munus imperantis et superioris: tum quia ideo di-
citur ratio imperare appetitui inferiori, et anima corpori; nempe
quia aliquo modo movet, (non autem ratione imperii proprii dicti);
ergo cum prudentiae munus sit, instar superioris suo modo mo-
vere voluntatem, eamque in executione operis dirigere, recte
dicitur ejus esse imperare.

8. **Dico IV.** Imperium prudentiae non fit per ali-
quem actum distinctum a iudicio, sed formaliter per actum iudicii, quo prudens iudicat hoc
opus cum talibus circumstantiis esse faciendum.

Nam hoc iudicium omnino sufficit ex parte intellectus ad mo-
vendam voluntatem: non tamen habet rationem imperii efficaci-
s, nisi reipsa moveat voluntatem. Consistit igitur hoc imperium in
causalitate, et veluti efficientia, quam actus iudicii habet in actum
voluntatis.

Dices: Virtus moralis potius debet praecipere prudentiae, quam
prudentia ipsi; quia virtus moralis versatur circa finem v. g. tem-
perantiae; prudentia autem circa ea, quae sunt ad finem. Ergo...

Resp. Virtutes morales etiam quodam modo praecipere seu im-
perare prudentiae, sed aliter quam prudentia praecipiat ipsis. Ratio
est, quia intellectus movet voluntatem, et vicissim voluntas intel-
lectum. Prudentia igitur praecipit virtutibus moralibus, osten-
dendo, et praescribendo quomodo, et in quid ferri debeant; et ita
movendo ex parte objecti ad speciem actus. Virtus moralis praeci-
pit prudentiae, volendo ut prudentia hoc vel illud consideret, et
ita applicando ex parte subjecti ad exercitium actus. Hoc tamen
non potest facere, nisi ante mota sit a prudentia, vel certe a syn-
deresi. Itaque potius prudentia dicitur praecipere virtutibus mora-
libus, quam hae prudentiae: tum quia omnis motio incipit a pru-
dentia; non enim voluntas potest movere, nisi ante mota per
intellectum; tum quia motio prudentiae est sublimior. Movet enim
per modum finis et specificantis actum voluntatis; voluntas solum
per modum applicantis extrinsecus; unde ejus motio saepe non est
necessaria.

9. **Dico V.** Prudentia in suis functionibus pendet
ordinarie a virtutibus moralibus.

Prob. Prudentiae est, id quod in singulis actionibus honestum
est apprehendere seu judicare tamquam hic et nunc conveniens:
atqui virtus moralis in voluntate existens, facit ut id, quod est
honestum videatur intellectui conveniens, et hic et nunc acce-
ptandum. Ergo... *Min.* prob. Nam virtutes morales in voluntate

latentes faciunt ut intellectus bonum honestum in actionibus judicet esse conveniens hic et nunc fieri: idque praestant, partim quia comprimunt passiones, quae rationem perturbant in consideratione honesti, et bonum delectabile ostendant: partim quia subiectum ita disponunt, ut opus honestum sit ei quam maxime congruum, sicut sitienti potus, esurienti cibus: unde mirum non est intellectui statim ita videri. Consensio enim illa, quae est inter objectum et affectum, causa est ex parte objecti, ut apprehendatur per modum convenientis: sicut e contra dissonantia est causa cur intellectus apprehendat ut dissentaneum. Itaque perfecta prudentia requirit omnes virtutes morales: singulae quoque virtutes morales, si perfectae sint, supponunt prudentiam; ita tamen ut prudentia prius se extendat ad quamvis actionem in individuo, quam virtus moralis se ad illam proferat. Nam iudicium prudentiae semper praeit affectum virtutis moralis circa unum eundemque actum individuum.

Dixi ordinarie, quia aliquando, etsi rarius, fit ut aliquis de honesto hic et nunc prudenter judicet, quamvis voluntas sit prave ad illud affecta, ebriosus enim interdum iudicat bonum esse, ut hoc tempore et loco, in hoc convivio rationis mensuram servet; etsi affectus ad hoc non inclinaret. Ratio est, quia ut intellectus possit comprehendere honestum sub ratione convenientis hic et nunc, sufficit consensio, quam illud habet cum natura rationali, in qua veluti in radice omnes virtutes morales continentur; pravi enim affectus non possunt illam consensionem et congruentiam tollere, quamvis eam multum obscurent, et obvolvunt.

Dices: Virtutes morales supponunt prudentiam, quia sunt habitus electivi secundum dictamen prudentiae; ergo prudentia non supponit virtutes morales; essent enim seipsis priores ac posteriores, et sibi ipsis causae et effectus.

Resp. Virtutes morales completas supponere prudentiam completam tanquam magistram, et directricem, quae in singulis functionibus ostendat quid, et quomodo agendum. Inchoatas vero (nempe ut solum sunt affectus honesti in genere v. g. temperate vivendi) supponere prudentiam inchoatam, per synderesim, quae est rudimentum quoddam, inchoatio, et principium prudentiae; sicut affectus ille honesti est inchoatio virtutis moralis. At prudentia secundum illam suam inchoationem non supponit ullo modo virtutem moralem, sed est causa virtutis moralis inchoatae: secundum vero suum complementum, quod habet ut se extendat ad actiones singulas, supponit virtutem moralem saltem inchoatam.

10. **Dico VI.** Perfecta prudentia non potest esse nisi in viris probis, qui affectum in omni materia virtutis recte dispositum habent.

Hi enim soli recte iudicare in omni negotio occurrente possunt. In hominibus improbis, vel alicui vitio deditis, non potest esse nisi imperfecta prudentia; quia pravus affectus, quo laborant, non sinit eos prudenter in materia virtutis oppositae iudicare.

11. **Scholia. I.** Notandum est D. Thomam (1) constituere triplices partes prudentiae; nempe subjectivas, potentiales et integrales. Subjectivas vocat species seu inferiora; quo modo homo et brutum dicuntur partes animalis. Potentiales vocat virtutes quasdam adjunctas, quae ordinantur ad alios secundarios actus vel materias, ita ut non habeant totam vim principalis virtutis, quo modo potentiae animae dicuntur animae partes apud philosophos. Integrales vel quasi integrales vocat eas, quas necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis.

Prudentia subjective recte dividi potest: 1.º In naturalem et supernaturalem. 2.º Immediate ipsa virtus in personalem seu solitariam, qua quis in singulis actionibus spectat quid agere deceat, proprium intendens bonum; in gubernatricem, quae dividitur in quatuor species, in oeconomiam, qua quis recte gubernat familiam, ejus bonum solum spectans; in civilem seu politicam, qua quis recte administrat civitatem, legesque servari curat; in legislatricem seu nomotheticam, qua quis idoneas leges condit; in militarem, qua militia rite administratur.

Sola prudentia personalis: a) absolute dicitur prudentia et hominem facit absolute et simpliciter prudentem. Quia is solus absolute prudens est dicendus, qui sua prae caeteris omnibus curat, seipsum omni virtute exornans. Prudentia enim per se primo curat bonum suum, i. e. sui subjecti. Caeterae vero prudentiae species non vocantur absolute nomine prudentiae, sed secundum quid, seu cum adjuncto, ut prudentia oeconomica vel civilis... quia non spectant bonum suum, sed alienum: unde neque necessario postulant, neque faciunt affectum habentis rectum; sed potius affectum alienum; quia intendunt bonum communitatis; nempe ut familia vel respublica secundum virtutem degat. b) Quodammodo complectitur omnes alias prudentiae species; quia potest se extendere ad omnes illarum functiones, dictando de eisdem actionibus de quibus ipsae, sed sub alia ratione, nempe superaddens illis respectum ad proprium bonum, quod est honeste agere. Neque enim rex potest habere prudentiam suae personae necessariam, et facere omne id, quod se decet, nisi norit leges utiles ferre; et ita requirit prudentiam legislatricem. Si tamen prudentia personalis accipiatur ut

(1) 2, 2, Q. 48.

dirigit hominem constitutum extra publicum officium, sic non includit illas; sed est species omnino distincta a caeteris.

II. Partes integrantes prudentiae dicuntur quaedam functiones, sine quibus non habetur perfectus usus prudentiae. Hoc modo D. Thomas (1) ponit octo partes prudentiae: Memoriam, quam vocat recordationem eorum, quae legimus, audivimus, vidimus, aut aliter experti sumus. Ex his enim saepe facile colligimus quid in praesenti negotio expediat; plurimum enim valent tum exempla aliorum, tum experientia ipsa ad prudentiam. Intelligentiam, quam vocat notitiam praesentium: ut enim prudenter judices necesse est praesentem statum rei tibi esse probe perspectum. Potest etiam hoc nomine significari notitia principiorum moralium. Providentiam, quae dicitur consideratio futurorum eventuum, qui possent sequi ex opere. Rationem, quae est promptitudo quaedam ratiocinandi, et aliud ex alio colligendi. Docilitatem, quae accipitur pro affectu et promptitudine ad discendum. Solertiam, quae est sagacitas medii, i. e. rationis alicujus cum res sit probanda vel improbanda inventio tempore brevissimo. Circumspectionem, quae est consideratio circumstantiarum, nequa desit in opere. Cautiorem seu curam ut vitentur incommoda, quibus rest est exposita, v. gr. ne proximus offendatur, ne incidas in adversam valetudinem: poterat haec sub praecedenti comprehendi.

III. Valde ingeniose ponuntur a D. Thoma (2) tres partes adjunctae seu potentiales prudentiae, eubulia, synesis et gnomon. Per eubuliam intelligitur habitum quemdam, qui praebet facultatem recte consultandi, i. e. inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis et perplexis. Per synesin habitum recte judicandi de consultatis, idque ex consideratione communium principiorum practitorum, scilicet legum naturalium et positivarum, et finium illarum, quos fines legislator spectavit. Per gnomon habitum recte judicandi ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, juxta tamen mentem legislatoris (3). Vocat autem has partes potentiales prudentiae; quia prudentia his utitur ad suum finem veluti membris quibusdam suis; vel ut anima utitur suis potentiis ad suum finem. Sicut enim in singulis animae potentiis elucet vis, et conditio animae, etsi non plene; ita in istis facultatibus, earumque functionibus elucet natura et conditio prudentiae, etsi non adaequate.

IV. Dupliciter contra prudentiam peccatur per excessum et per defectum: quia sicut objecta aliarum

(1) 2, 2, Q. 49.—(2) Ibid. Q. 51.—(3) V. Cajet. q. 120, aa. 5, 2.

virtutum consistunt in medio, ita etiam objectum prudentiae; idem enim est objectum circa quod versatur prudentia consultando, et judicando, ac aliae virtutes inclinando; ergo sicut contra alias virtutes potest peccari per excessum et defectum, ita contra prudentiam.

Per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter (1):

Praecipitatione, quae proposito aliquo fine statim opus aggreditur, vel certe judicat de mediis, de modo, et ordine exequendi, omissa deliberatione.

Inconsideratione, quae judicat, omissa diligenti inspectione circumstantiarum.

Inconstantia, qua sine ulla, vel certe sine justa causa mutatur sententia.

Negligentia, qua res deliberata et judicata, opportuno tempore exequutioni non traditur. Haec tamen dupliciter considerari potest; a) ut est omissio diligentiae requisitae ad opus externum, et sic non est directe contra prudentiam, sed contra virtutem in cujus materia versatur; ut negligentia in orando est contra religionem. b) Ut est omissio diligentiae requisitae in actu intellectus excitantis et dirigentis voluntatem et vires externas ad exequutionem, et sic est contra prudentiam. Praecipitatio igitur est directe contra consilium: inconsideratio contra judicium; inconstantia contra iudicii firmitatem, negligentia contra rationis vigilantiam in exequendo.

Per excessum, vel potius quadam specie et imagine prudentiae peccatur contra prudentiam sex modis (2):

Prudentiam carnis, qua quis vivit secundum carnem: ut colligitur ex Apostolo (3) ad Rom. ubi opponit prudentiam carnis prudentiae spiritus; et sapere secundum carnem, ei quod est sapere secundum spiritum. Vivere autem secundum carnem est sequi instinctus et motus naturae corruptae; seu est facere opera carnis. Unde prudentia carnis est, quae excogitat idonea media ad opera carnis complenda; sicut prudentia spiritus est, quae excogitat idonea media ad opera seu fructus spiritus.

Astutiam, quae generatim est ratio aliquid agendi modo occulto. Dicuntur enim astuti in contractibus et negotiis, qui norunt modos agendi non passim obvios, quibus vel alios decipiunt (quod est malum), vel cavent ne decipiantur. (quod est per se bonum et prudens). Itaque sic accepta astutia est quid communius quam prudentia; hic sumitur pro notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum affectu exequendi conjuncta. Hoc modo accipit

(1) D. Thom. 2, 2, QQ. 53, 54.—(2) Ibid. Q. 55.—(3) VIII.

D. Augustinus (1) cum ait: «omnibus virtutibus quaedam vitia esse similia; sicut astutia prudentiae similis est, quae tamen est vitium.»

Dolo, qui est astutiae exequutio, sive verbis, sive factis: est enim hoc nomen generale. Tantum habet locum erga proximum, et potissimum in materia justitiae, ut in contractibus et distributionibus.

Fraude, quae est etiam exequutio astutiae per facta, ut cum mensura est minor justo: unde est quid contractius et minus commune quam dolus. Itaque dolus et fraus se habent ad astutiam, sicut pactiones justae ad prudentiam. De his duobus dici solet: «Fraus et dolus nemini debet patrocinari (2).» «Fraudem non fieri ei, qui scit et consentit (3).» Dicitur etiam fraus fieri, vel contra legem, vel ipsi legi. Contra legem, quando fit contra id, quod lege praecipitur vel vetatur, absque colore et artificio, quo violatio illa tegatur. Legi vero, quando artificio quodam ita agitur contra mentem legis, ut videamur illi non repugnare: ut si conjux volens donationem facere conjugui, quod non potest per leges, supponat aliam personam cui donet, cum onere transferendi in conjugem. Qui similem fraudem admittunt non excusantur coram Deo a praevaricatione legis, etsi coram hominibus videantur legem servare.

Sollicitudine temporalium, quae est nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conservandis, proveniens ex inordinato amore habendi, vel timore amittendi.

Sollicitudine futurorum, quae est nimia animi occupatio circa futura, maxime ut vitae necessaria habeantur, conjuncta cum anxietate et parva fiducia divinae providentiae; ut cum quis plusquam decet est sollicitus de victu, vestitu, aliisque rebus necessariis in futurum annum, mensem vel diem; est species sollicitudinis temporalium.

Has sollicitudines reprobavit et fiduciam in Deum commendavit Christus D. apud Matthaeum (4) pluribus et caelestibus rationibus: *Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.* Apud Lucam (5) monet, summum esse periculum salutis eorum, qui curis hujus vitae toti se immergunt: *Attendite ne forte graventur corpora vestra in cra-*

(1) L. 4 contr. Julian. c. 3, n. 20.—(2) C. Ex tenore, 16, de Rescriptis.—(3) L. nemo π. de regulis juris.—(4) VI, 19-34.—(5) XXI, 34.

pula, et ebrietate, et curis hujus vitae; et superveniat in vos repentina dies illa judicii ultimi, quae pro unoquoque hominum aequivalet diei mortis ejus.

Dicitur nimia, nam sollicitudo moderata temporalium et futurorum non prohibetur sed commendatur in Proverbiis (1): *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam: quae cum non habeat ducem, nec praeceptorem, nec principem, parat in aestate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat. Et: Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit aestate, filius confusionis.*

Ratio est, quia non vult Dominus, ut omnia vitae huic necessaria homini sponte, absque ulla cura ipsius et sollicitudine, proveniant; id enim ipsi esset occasio otii et desidia, quae maximorum malorum est origo, et merito pulvinar diaboli esse dicitur: sed vult ab eo laborem et sollicitudinem adhiberi; ut hoc exercitio occupatus avocetur a libidinibus, aliisque peccatis, quae otium parit.

Debet sollicitudo moderata commensurari rebus, quibus impenditur, ut non sit nimis anxia, quasi Deo non essemus curae; nec major tribuatur corpori quam spiritui, rebus temporalibus quam aeternis, humanis quam divinis, vel saltem ne haec prae illis negligantur.

§ III.

De Fortitudine.

12. Nomen Fortitudinis, ait D. Thomas (2), «dupliciter accipi potest: uno modo, secundum quod absolute importat quamdam animi firmitatem, et secundum hoc est generalis virtus, vel potius conditio cujuslibet virtutis, quia sicut Philosophus dicit (3), ad virtutem requiritur firmiter et immobiliter operari.» Intellige si virtus perfecta sit seu in gradu heroico; quia etsi omnis virtus, qua habitus, aliquam firmitatem tribuat; haec tamen facile expugnabitur, nisi alia perfectio accedat, qua bonum suum omnibus commodis et incommodis anteponat, idque firmo et inexpugnabili proposito, quo cum pervenerit, dicitur esse in gradu heroico. Hoc sensu acceperunt fortitudinem aliqui Patres ut Ambrosius (4), qui ait: «Non mediocris animi est fortitudo, quae sola defendit ornamenta virtutum omnium, et judicia custodit, et quae inexpugnabili praelio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labo-

(1) VI, 6; X, 5.—(2) 2, 2, Q. 123, a. 2.—(3) 2, Ethicor. c. 4.—(4) L. 1, de Offic. c. 39.